



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Brevis Descriptio, Vitae Rvperti, In eodem uolumine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

EPISTOLA HUIUS OPERIS COMMENDATORIA.



Omino & amico suo Ruperto, venerabili Abbati, frater Meingoh salutem & seruitium bonæ uoluntatis. Perlecto libro uestro de gloria & honore filij hominis, relictus sum & delectatus sicut in omnibus diuitijs, beatificans negociatorem illum Euangelicum, quærentem bonas margaritas, qui inuenta una preciosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit illam, & qui abiecitis huius seculi, gustat & uidet quod suauis est dominus. ¶ Ego uero distractus sollicitudinibus, & curis grauiter prementibus, neglecto bonæ mentis exercitio, urticas solum & spinas pario. Per agrum (inquit sapiens Salomon) hominis pigri transiui, & per uineam uiri stulti, et ecce, totum repleuerant urticæ, operueit superficiem eius spine, & maceria lapidum destructa erat. Quod cum uidiissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Parum (inquam) dormies, modicum dormitabis, pauillum manus conferes ut quiescas, & ueniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi uir armatus. Egestatem & mendicitatem superpleat miseratus, qui cum diues esset egenus factus est propter nos. Ora pro nobis pater. ¶ De penultimo libro, super quo requisistis nostræ paruitatis iudicium, hoc intelligo, quod angelus Thobiaz respondit: Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem reuelare & confiteri honorificum est. Deus cum sit ueritas, de seipso magna & fortia pronuntiauit sine arrogantia. Ita qui de donis dei, non in semetipso, sed in domino gloriatur, sumpta honesta & necessaria occasione, laudabiliter deum magnificat. Sic Paulus Apostolus gloriatus in infirmitatibus suis, super gloriatur de reuelationibus & uisionibus dei, ad honorem ueritatis ueritatem, dicens: & postquam se pronuntiat raptum in tertium coelum, & in paradiso audisse archana uerba quæ non licet homini loqui, insipiens (inquit) factus sum, uos me coegistis. Coegit uos, adiurauit uos tanta & tam religiosa persona, per nomen domini, quid faceret bonum signum, bona campana sic pulsata, nisi sonare laudem dei? Bone pater tuis orationibus sanctique tui conuentus commendata sit Ecclesia nostra, ut dominus det nobis pastorem in beneplacito suo, ut in domino idem sentiant omnes, & non sint in nobis schismata. Vale.

Mat. 13.

addo t negotijs

Proverb. 24.

2. Cor. 8
Iudicium super
libro duodecimo
de reuelationibus
Thob. 12
2. Cor. 12

1. Cor. 1

BREVIS DESCRIPTIO VITAE RUPERTI,
In eodem uolumine.



Ste Dominus Rupertus à puerulo, sicut tunc mos erat, apud nos in monasterio S. Laurentij propè Leodium oblatus fuit & nutritus, ac elementis literarum primitus imbutus. Qui sicut ætate, sic uirtutibus germinauit sceleriter. Erant tunc in eodem monasterio uiri scientia & uirtutibus ac fama præclari. Qui in ciuitate & dioecesi Leodiensium, fulgebant, sicut luminaria in firmamento cæli. In illis temporibus spectabilior erat bene literatus, qui bene nummatus. Factus uero presbyter, accessit ad cor altum, & excubans matutinis orationibus, unde fruebatur sepe numero illustratione diuina, & aperuit ei sapientia dei sensum, ut intelligeret scripturas, & tractaret de illis summa facultate, summa utilitate. ¶ De ipso etiam sic scribit dominus Abbas sancti Trudonis in Cronica sua. Dominus Fredericus archiepiscopus Coloniae. Rodolphus Abbatem sancti Trudonis secum Coloniae duxit, propter metum Imperatoris, & commendauit eum Ruperto Abbati S. Mariae, sanctique Heriberti ultra Rhenum Tuitij. Iste Rupertus Leodij nutritus fuit in Cœnobio Sancti Laurentij. Quem propter præclaram nominis eius famam in sanctarum scripturarum scientia Archiepiscopus sibi assumpserat & Abbatem prædicti loci constituerat. Huius uiri multa & præclara extant librorum uolumina, quæ de diuina pagina exarata reliquit in Ecclesia. Cuius corpus uiuentis nec somno poterat requiescere, in diuinæ legis meditatione. Hæc ille ibi.

¶ Obijt, Anno domini M. C. XXVIII.

¶ At in lapide tumuli eius inscriptum habet, Anno domini M. C. XXXV.